



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XXI. Praeceptum Ludovici Regis Aquitanorum de navibus sancti Pauli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

tenus verò auctoritas firmior habeatur, de anulo nostro subter sigillavimus.

Gilbertus ad vicem Radoni recognovit & subscripsit.

Data in mense Marcio anno xv. & xviii. regni nostri. Actum Aquilgrani palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

X X.

Præceptum Karoli M. pro monasterio Cormaricensi.

Præceptum Domni Karoli Regis, quod fecit rogante Magistro Albino, ut duæ naves sine teloneo per regnum ejus monachis sancti Pauli concederentur.

An. 800.
Ex chartulario S. Martini Turonensis.

Karolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum omnibus Episcopis, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenariis, seu reliquis fidelibus nostris presentibus & futuris. Notum sit quia petitiones dilectissimi fidelis nostri Albini venerabilis monasterii sancti Martini, ubi ipse pretiosus corpore requiescit, Abbas taliter concessimus, ut monachi qui sub regula sancti Benedicti conversari videntur in monasterio quod est constructum in honore sancti Pauli Apostoli in loco qui dicitur Cormaricus licentiam haberent naves duas per Ligerim fluvium & Meduanam sive Sartam & Ledum vel Viennam huc illucque pro necessitatibus dirigendi, & nullum teloneum neque de sale neque de ullis quibuslibet rebus in ullo omnino loco ipsi aut eorum homines solvere aut dare debeant. Propterea presentem auctoritatem fieri iussimus, per quam perpetualiter jubemus ut neque vos neque juniores seu successores vestri memorato venerabili viro Albino Abbati aut successoribus suis, sive monachis, aut hominibus eorum de supra scripto monasterio sancti Pauli pro ipsis navibus inquietare aut calumniam generare nec teloneum aut ripaticum ab eis nec salvaticum nec portaticum nec ullas redhibitiones requirere aut exactare ullo modo præsumatis, sed ad illum sanctum locum Cormaricum & ad fratres ipsos in elemosyna nostra nostris futurisque temporibus perpetualiter proficiat in augmentis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & per tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillati iussimus.

Genasius ad vicem Hercembaldi firmavit.

Data 1 v. Nonas Junij anno xxxi. & xxiv. regni nostri.

Actum Turonis in monasterio sancti Martini.

X X I.

Præceptum Ludovici Regis Aquitanorum de navibus sancti Pauli.

An. 807.
Ex eodem chartulario.

Ludovicus gratia Dei Rex Aquitanorum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenariis, seu reliquis fi-

delibus nostris presentibus feliciter & futuris. Notum sit quia concessimus Friderigo Abbati ex monasterio sancti Martini, ubi ipse corpore requiescit, ut monachis Cormaricensis monasterii, qui monasticè sub regula sancti monachorum patris Benedicti degere videntur, liceat duas naves, vel quotquot fuerint sibi necessarie, per omnia flumina in regno nostro Deo propitio discutentia absque ulla consuetudine propter suas necessitates dirigere. Ad cujus concessionis auctoritatem corroborandam hoc præfens fieri iussimus præceptum, per quod imperiali auctoritate jubemus ut nullus nostrorum presentium sive futurorum in hac regali sanctione audeat illis in aliqua parte contradicere. Et ut majorem habeat in se hoc præceptum vigorem, anuli nostri impressione sigillari iussimus.

Data vii. Idus Aprilis anno xxvii. regni nostri. Actum Cassanogelo palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Albo ad vicem Helizachar scripsi.

X X I I.

Anonymi scriptoris responsio ad capitula Archiepiscopi regni Francorum missa à Karolo M. anno Christi DCCCXI.

Hæc sunt causæ quas Dominus Imperator Augustus nobis ad utilitatem semper sanctæ Ecclesiæ per sacram suam mandavit epistolam.

I. CAP. Quomodo vel qualiter unusquisque Dei sacerdos plebem sibi à Deo commissam instruatur, prædicat, atque gubernat.

R E S P. Nos igitur populum nobis commissum juxta nostram exigui intellectus scientiam prædicamus & ammonemus sicut sancti jam nobis patres per illorum reliquerunt exempla, Augustinus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Ephraim, Cassianus, Cassiodorus, ceterique usque modo verbi Dei prædicatores. Primum ineffabilem sanctam sacramque Trinitatem credant, fidem dogmæque ejus fideliter intelligant. Et quod debile est in Christi grege cum omni mystico foverimus medicamine, & quod sanum est favente Christi gratia cum omni lactea doctrina apostolica cupimus custodire. Et pro hoc hic plus non loquimur, ne sanctum prolixus offendant synodum sermo.

II. CAP. De omni sancti mysterio baptismatis * quo ordine debemus celebramus. * si

R E S P. Baptisimum Græcè, Latine tinctio dicitur. Et ob hoc tinctio nominatur quia ibi homo Adæ de peccato fulcatur. Et hæc sunt sanctæ Ecclesiæ sacramenta, baptismum, chrisma, corpus & sanguis Christi. Et ideo sacramenta dicuntur, quamvis corporaliter acta sint * aliquid divinitus * quia significant. Et baptismi mysterium non aliter est nisi sub Trinitatis designatione Patris & Filij & Spiritus sancti. Sicut enim in tribus testibus omne verbum, ita hoc sacramentum ternarius firmat numerus. Et propterea infans ter mergitur in sacro fonte ut sepulturam triduanam Christi trina demersio mysticè designaret. & ab aquis elevatio Christi resurgens instar est de sepulcro. Et prop-

T T et iij

An. 811.
Ex schedis v. c. Jacobi Sirmondi.